

De Ordine, seu de Providentia libri duo.
Soliloquiorum libri duo.
De Immortalitate Animæ liber unus.
De quantitate animæ liber unus.
De Musica libri sex.
De Magistro ad formam Dialogi inter se, & filium suum Adeodatum liber unus.
De libero Arbitrio libri tres.
De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum libri duo.
De vera Religione liber unus.
Regula ad Servos Dei.

Supposititia Opera S. Augustini ad Appendicem Tomi primi rejecta, sunt ista:

De Grammatica liber.
Principia Dialecticæ.
Categoriæ decem.
Principia Rhetoricæ.
Regulæ Clericis datæ fragmentum.
Regula secunda.
De Vita Eremitica ad sororem.

TOMUS SECUNDUS

Completitur Epistolas S. Augustini numero cclxx. quæ ordine Chronologico juxta temporis, quo scriptæ sunt, rationem, disponuntur. Ex his Sancti Augustini Epistolis hauriri possunt certissimæ regulæ circa Dogmata Fidei, Disciplinam Ecclesiæ, & Ethicam Christianam, necnon saluberrima præcepta ad bene, beateque vivendum.

Supposititia Opera S. Augustini ad Appendicem Tomi secundi rejecta, sunt ista:

Ad Bonifacium, & e contra Epistola breviores XVI.
Epistola ad Demetriadem, quæ Pelagio adjudicatur.
Ad Cyrillum, & e contra de laudibus Hieronymi.
Altercatio cum Pascentio.

TOMUS TERTIUS

In duas partes divisus est, & omnes libros, quos S. Augustinus in sacram Scripturam lucubravit, quique antehac in variis Tomis erant dispersi, atque dissipati, in unum collectos exhibet.

PRIMA PARS TOMI TERTII.

In hac prima parte tomi tertii Operum S. Augustini extant libri quatuor de Doctrina Christiana.
De Genesi ad literam liber imperfectus.
De Genesi ad literam libri duodecim.
Locutionum libri octo.
Questionum in Heptateuchum libri septem.
Annotationum in Job liber unus.
Speculum.

Supposititia S. Augustini Opera ad Appendicem hujus primæ partis rejecta, sunt ista:

De mirabilibus Scripture sacre libri tres.
De Benedictionibus Patriarchæ Jacob.
Questiones Veteris & Novi Testamenti.
In Apocalypsin Joannis expositio.

PARS SECUNDA TOMI TERTII.

In hac secunda parte continentur libri quatuor de consensu Evangelistarum.

De sermone in monte Domini libri duo.
Questionum Evangelicarum libri duo.
Questionum XVII. in Matheum liber unus.
Tractatus in Joannem CXXIV.
In Epistolam Joannis Tractatus decem.
Expositio quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos.
Ex Epistola ad Romanos inchoata expositio.
Expositionis Epistolæ ad Galatas liber unus.

TOMUS QUARTUS

Comprehendit narrationes in Psalmos, in quibus S. Augustinus de variis differit argumentis, & varios sensus Mysticos & Morales Psalmorum explanat.

TOMUS QUINTUS

Exhibet Sermones cccxiv. Sancti Augustini ad populum, & ad ejusdem Tomi Appendicem rejiciuntur Sermones cccxvii. qui falso tribuuntur S. Augustino.

TOMUS SEXTUS

Continet Opera Moralia S. Augustini isto ordine disposita.

Ex diversis questionibus LXXXIII. liber unus.
Ex diversis questionibus ad Simplicianum libri duo.
De octo Dalcitii questionibus liber unus.
De Fide & Symbolo liber unus.
De Fide & Operibus liber unus.
Enchiridion ad Laurentium, seu de Fide, Spe & Charitate liber unus.
De Agone Christiano liber unus.
De Catechizandis rudibus liber unus.
De Continentia liber unus.
De bono Conjugali liber unus.
De sancta Virginitate liber unus.
De bono Viduitatis ad Julianum.
De Conjugiis Adulterinis ad Pollentium libri duo.
De Mendacio liber unus.
Contra Mendacium ad Consentium liber unus.
De Opere Monachorum liber unus.
De Divinatione Demonum liber unus.
De cura gerenda pro mortuis ad Paulinum liber unus.

De

De Patientia liber unus.
De Symbolo ad Catechumenos.
De Symbolo alii tres libri, qui tamen doctissimis Patribus Benedictinis Augustini ingenium, eruditionem, & styli præferre non videntur.
Sermo de Disciplina Christiana.
De Cantico novo ad Catechumenos.
Sermones de quarta Feria.
Sermones de Cataclysmo, & de tempore Barbarico, qui tamen iisdem eruditis editoribus dubii, vel potius spurii videntur.
Sermo de utilitate jejunii.
Sermo de Urbis Excidio.

In Appendice hujus Tomi sexti doctissimi Patres Benedictini reposuerunt Opera Moralia supposititia, quæ S. Augustinum Parentem non agnoscunt.

TOMUS SEPTIMUS

Continet excellentissimum Opus Sancti Augustini in viginti duos libros divisum de Civitate Dei. Decem primos istius insignis Operis libros conscripsit S. Augustinus adversus falsorum Deorum Cultores, qui distabant, ideo Romam fuisse captam, & ferro flammaque a Gothis vastatam, quod abolitus fuisset suorum Numinum Cultus, & investa esset Christiana Religio. In aliis duodecim ejusdem Operis libris texit S. Augustinus Historiam ortus, progressus, & finis duarum Civitatum, scilicet Dei & Mundi. Hoc S. Augustini Opus jucundum, ac perspicuum est, tamque rerum tum divinarum, cum Prophanarum affluentia redundans, tantaque ingenii eruditione elaboratum, ut omnium lectorum sibi admirationem conciliet.

TOMUS OCTAVUS

Exhibet libros Polemicos, seu quos S. Augustinus scripsit contra Hæreticos, exceptis tamen illis Operibus, quæ Sanctus ille Doctor edidit contra Donatistas, & Pelagianos. Hæc autem Opera S. Augustini Polemica isto ordine disponuntur.

Liber de Hæresibus ad Quod vult Deum, cum Appendice de Hæresi Nestoriana, Eutyriana, & Timotheana.
Tractatus contra Judæos.
Tractatus de utilitate credendi.
Liber unus de duabus Animabus.
Acta, seu dispensatio, quam habuit S. Augustinus contra Fortunatum Manichæum.
Liber unus contra Adimantum Manichæum.
Contra Epistolam Fundamenti liber unus.
Contra Faustum Manichæum disputationes, seu libri XXIII.
De Actis, seu de Disputatione, quam habuit S. Augustinus cum Felice Manichæo libri duo.
De natura boni adversus Manichæos liber unus.
Contra Epistolam Secundam Manichæi liber unus.
Contra Adversarium Legis, & Propbetarum libri duo.

Contra Priscillianistas, & Origenistas liber unus.
Contra Sermonem Arianorum liber unus.
Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo.
Contra eundem Maximinum libri tres.
De Trinitate libri XV.

In Appendice hujus Tomi octavi inseruerunt Patres Benedictini multa supposititia Opera Polemica, quæ perperam tribuuntur S. Augustino.

TOMUS NONUS

Complectitur Opera, quæ S. Augustinus lucubravit contra Hæreticos Donatistas, istoque ordine disponuntur.

Psalmus contra Donatistas.
Contra Epistolam Parmeniani libri tres.
De Baptismo contra Donatistas libri septem.
Contra litteras Petilianus libri tres.
Ad Catholicos Epistola contra Donatistas, vulgo de unitate Ecclesiæ liber unus.
Contra Cresconium Grammaticum partis Donati libri quatuor.
De unico Baptismo contra Petilianum ad Constantium liber unus.
Breviculus Collationum contra Donatistas libri tres.
Ad Donatistas post Collationem Carthaginensem liber unus.
Sermo ad Cæsarensis Ecclesiæ plebem, Emerito presente habitus.
Sermo super gestis cum Emerito Donatista liber unus.
Contra Gaudentium Donatistam libri duo.

In appendice hujus Tomi noni extant quædam Opera contra Donatistas, quæ sunt supposititia, & S. Augustinum Parentem non agnoscunt.

TOMUS DECIMUS

Comprehendit omnes libros, quos S. Augustinus edidit contra Pelagianos, & Semipelagianos, in quibus Peccati Originalis ad omnes omnino Adami posteros propagationem, & gratiæ victoris, seu seipsa efficacis ad omnes, & singulos pietatis actus, necessitatem invictis argumentis demonstrat. Hoc autem ordine disponuntur.

De meritis, & remissione peccatorum, & de parvulorum Baptismo ad Marcellinum libri tres.
De spiritu, & littera ad Marcellinum liber unus.
De Natura, & Gratia ad Timasium, & Jacobum contra Pelagium liber unus.
Ad Episcopos Utropium, & Paulum Epistola, seu liber de Perfectione justitiæ hominis.
De Gestis Pelagii ad Aurelium Episcopum liber unus.
De Gratia Christi, & de peccato Originali libri duo.

Epi-

Epistola ad Valerium Comitem.

De Nuptiis, & Concupiscentia ad Valerium Comitem libri duo.

De Anima, & ejus origine libri quatuor.

Epistola ad Claudium Episcopum.

Contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam libri quatuor.

Contra Julianum libri sex.

De Gratia & libero Arbitrio ad Valentinum, & Monachos Aduemetinos liber unus.

De Correctione & Gratia ad eisdem liber unus.

De Prædestinatione Sanctorum ad Prosperum, & Hilarium liber unus.

De Dono Perseverantiae ad eisdem liber unus.

Alterius Operis, quod est imperfectum, contra Julianum libri sex.

Hæc sunt Opera, decem Tomis comprehensa, quæ edidit S. Augustinus, & quæ doctissimi Patres Monachi Benedictini a spuris, & supposititiis judicio Critico, magna cura, & diligentia a supposititiis seceverunt solidis firmisque adductis rationibus, quas ex MSS. Codicum, & antiquarum Editionum autoritate, ex S. Augustini stylo, ex illius doctrina, dicendi formulis S. Augustino propriis, ex personarum, temporum, locorumque circumstantiis deprompserunt. In rem etiam & utilitatem eorum, qui Operum Sancti Augustini sunt studiosi, iidem Patres Benedictini unicuique libro, vel Tractatui Sancti Augustini præmiserunt argumentum, admonitionem, vel censuram, qua illius libri, vel Tractatus rationem candide reddunt, & vel genuinum, vel spurium esse ostendunt, subjectis ad imam cuiusvis paginae partem Notis, quibus breviter vel variantes lectiones adnotant, vel loca difficiliora illustrant. Quapropter, convenit apud omnes viros eruditos, hanc postremam Operum Sancti Augustini Editionem a PP. Monachis Benedictinis Reipublicæ Ecclesiasticæ bono natis adornatam, omnium, quæ hæcenus prodierunt, optimam atque castigatissimam esse.

D. Quam auctoritatem & æstimationem in Ecclesia Latina habuerunt doctrina & Opera Sancti Augustini?

M. Maximam auctoritatem, & summam omnium fidelium venerationem semper in Ecclesia Latina obtinuit doctrina S. Augustini. Eam siquidem egregiis encomiis commendarunt multi Pontifices Romani, Concilia in suis condendis Canonibus, ac decretis ipsissima S. Augustini verba adhibuerunt. Patres Latini ex libris Sancti illius Doctoris non solum hausierunt principia, quibus passim usi sunt, sed etiam frequenter S. Augustinum fere transcripserunt. Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, qui sæculo duodecimo Theologiam universam in Epitomen cogere voluit, nihil fere egit, quam S. Augustini locos & sententias excerpere. S. Thomas omnium Theologorum facile princeps a doctrina S. Augustini, quam in purum putumque, ut dici solet, succum converterat, ne latum quidem unguem in suis Operibus deservit, unde jure ac merito *Augustinus contra-Gus* appellatur. Denique, præcipuè totius Orbis Academiæ, & Scholæ nobilissimæ Sancto Au-

gustino assurgere, ejusque doctrinæ fasces submittere gloriantur. Fuerunt quidem nonnulli tenebriones, & ignobiles Scriptores, qui Sanctum Augustinum aliquot errorum insimulare, ejusque doctrinam pro vitibus arrodere tentarunt, sed eorum calumnias retuderunt non solum Sancti Hilarius, Prosper, Fulgentius & Remigius, sed etiam peritissimi hujus temporis Theologi, Cardinalis Norisus in suis *Vindiciis Augustinianis*, & doctissimus noster *Hyacinthus Serry* Doctor Sorbonicus in libro, cui titulus; *Augustinus vindicatus*. Quid plura? Clemens XI. Pontifex Maximus die 28. Januarii anni MDCCIV. publicavit decretum, quo proscripsit, & natalitiis tenebris damnavit quemdam male confarcatum libellum, qui sub nomine *Joannis Launoii* Doctoris Sorbonici circumferebatur, in quo doctrina S. Augustini de *Gratia & Prædestinatione*, quam semper Ecclesia adoptavit, atrocibus calumniis impetebatur.

D. Sanctorum Patrum Chrysostomi, Hieronymi & Augustini vitam & Opera satis hæcenus expendimus, superest nunc, ut pauca dicas de aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, qui in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt.

M. In exordio quinti Ecclesiæ sæculi floruit *Evagrius Ponticus*, qui multa Opera scripsit, quorum tum fragmenta, tum citationes habentur in Codice Regularum, in Patrum Vitis, & Apophtegmatibus, in Catenis, in Thesauro Affectivo, in Scholiis ad Climacum, necnon apud Palladium, Socratem, Dorotheum, itemque in Damasceno Billii, & in Palladio Bigotiano. Scripsit *Evagrius* librum unum de octo *visitationibus* editum ab *Emerico Bigotio* ad calcem Vitæ S. Chrysostomi a Palladio compositæ. Item, Sermonem dogmaticum de sancta Trinitate ad eos, qui Monasticam vitam degunt in patria, quem *Josephus Maria Suves* Episcopus Vasionensis, cum *Niliacis* publici juris fecit. Præterea, Clarissimus *Cotelierus* tomo 3. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, in lucem emisit Epistolam *Evagrii* ad Ananolum; insuper, librum *Præcticum*, & aliud Opusculum, cui titulus: *Evagrii Monachi rerum Monachalium rationes, earumque juxta quietem appositio*. Quibus in libris multa utilissima, ad mores probe informandos, habentur documenta.

Sub initium ejusdem quinti Ecclesiæ sæculi, illustres fuerunt *Aurelius Prudentius* famosus Poeta, *Antiochus* Episcopus Ptolomaidis in Phœnicia, *Severianus* Episcopus Gabalæ in Syria, *Asterius Amaseæ* in Ponto Episcopus, qui eloquentissimos ad populum Sermones habuerunt. *Cotelierus* in tomo 3. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ publicavit, & latino idiomate donavit aliqua Opuscula *Asterii Amasensis* Episcopi. Superfunt adhuc aliqui Sermones *Gaudentii Brixienis* Episcopi, & aliquot Epistolæ Paschales, & Canonice *Theopipoli* Patriarchæ Alexandrini, seu Tractatus, quem edidit ille *Alexandrinus* Patriarcha contra Anthropomorphitas, omnino periit. *Chromatii* Episcopi Aquilejensis toto in Occidente celeberrimi Opera excepto unico Sermone, nobis fata inviderunt. *Theodorus Mopsuestenus* Episcopus plures in Scri-

Scripturam sacram Commentarios, & multa Opera Polemica contra Hæreticos scripsit, sed postea ingens fastidius in absurdissimos errores lapsus, Magister *Hæreleon* evasit, & Pelagianorum, ac Nestorianorum erroribus prælit. Unde ejus Opera in quinta Synodo generali, ob errores, quibus scatebant, proscripita penitus interciderunt. Multum Ecclesiæ nocuit *Theodorus Mopsuestenus*, sed plus ei obfuit mortuus, quam vivens. Quamdiu enim superstes fuit, unus tantum, insertis suis libris erroribus, Ecclesiæ non modicam perniciem intulit, at mortuus mille doctissimorum Scriptorum dexteris, pro ipsius nomine defendendo armavit, & Synodos Synodis objecit, ut sese ostendit Cardinalis Norisus in Dissertatione de quinta Synodo Generali. Palladius Origenista, Rufini amicus, & Episcopus Heliopolitanus, anno quadringentesimo vigesimo, Historiam suam dictam *Lausiacam* de Vita, Miraculis, & Gestis Monachorum Orientis, scripsit. Exsilium nonnulli, Vitam S. Chrysostomi ab isto Palladio Episcopo Heliopolitano non fuisse descriptam, sed ab altero Palladio Scotorum Episcopo. Verum perdoctus *Pagius* ad annum Christi ccccxxix. recte post *Ussarium* quidpiam literarum monumentis a Palladio Scotorum Episcopo traditum fuisse, nihil esse quod fidem faciat. Auctorem itaque Vitæ S. Chrysostomi, in formam Dialogi, esse Palladium Episcopum Heliopolitanum, in dubium revocari non potest. *Sulpicius Severus* Presbyter, S. Martini Turonensis Episcopi discipulus, Gallias, unde oriundus erat, plurimum illustravit. Fallitur porro *Baronius*, dum ad annum ccccxciv. num. cxvi. ait, Sulpicius fuisse Romanum Civem, eumque in Gallias degisse. Constat enim ex ipsomet Sulpicio Dialogo I. cap. 20. & ex Gennadio in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, eum fuisse domo *Aquitanum*, & quidem e *Nitiobrigibus*, cum lib. 2. suæ Historiæ *Phebadium* Agenni Episcopum, suum Episcopum vocet Sulpicius. Agennum autem in *Nitiobrigibus* situm esse, in confesso est apud omnes. Cum Paulino Episcopo Nolano summa fuit Sulpicius necessitudine conjunctus, ut liquet ex Paulini ad illum Epistolis, quæ inter ejus Opera leguntur. Præter hunc Sulpicius Severum Agennensem Presbyterum, fuerunt alii duo *Sulpicii Severi* Biturigum Episcopi, cum quibus proinde confundi minime debet iste Sulpicius, qui, ut mox diximus, fuit dumtaxat Presbyter Agennensis, & cujus nomen, quod Martyrologio Romano erat inscriptum, postea ab his, qui illud Martyrologium sub Urbano VIII. recognoverunt ac correxerunt, expunctum est. Opera Sulpicii Severi sunt ista: Duo libri de Historia sacra, quam a mundi cunis exorsus, perduxit usque ad *Siliconis*, & *Aureliani* Consulatum, hoc est, ad Christi annum quadringentesimum, Liber unus de vita S. Martini Turonensis Episcopi. Epistole tres. Una videlicet ad *Eusebium* Presbyterum contra emulos virtutum B. Martini; Altera, ad *Aurelium* Diaconum, de obitu & apparitione B. Martini; Tertia, ad *Bassulam*, socrum suam, Quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit. Denique, Sulpicius Se-

verus scripsit tres Dialogos, in quibus Millenniariorum errorem necdum ab Ecclesia damnatum sequitur (a). Ejus Opera stylo eleganti, terfo, polito, facili & claro elaborata *Carolus Sigonius*, & *Joannes Vorstius* Notis illustrarunt. *Orosius* Tarracone in Hispania ortus, vir fuit in divinis Scripturis eruditus, in secularibus literis peritissimus, & rerum Christianarum Historicus nobilissimus. Consilio & suavis S. Augustini septem Historiarum libros composuit, quibus manifesto ostendit, ab orbe Condito ad suam usque ætatem maximas semper atque atrocissimas calamitates contigisse, ac subinde falsas esse calumnias Paganorum asserentium, urbis Romæ direptionem ab *Alarico* Rege factam, & alias clades Romano Imperio illatas, ex neglectu Deorum cultu, & ex Religionis Christianæ propagatione originem habuisse. Ad S. Hieronymum anno ccccxv. missus est *Orosius* a S. Augustino, ut eum de Animarum origine consulere. Scripsit etiam *Orosius* Apologiam contra Pelagium de libertate Arbitrii.

„ (a) Ab errore Chiliastarum immunem Sc-
verum Sulpicius pronunciat & demonstrat Cl.
P. Hieronymus a Prato Veronensis Congrega-
tionis Oratorii Presbyter in nitida editione sua
operum Sulpicii Severi evulgata Veronæ ann.
1741.; nec equidem immerito; nam dialogi,
quomodo hodie leguntur, nihil ejusmodi præ-
ferunt, ipso etiam Tillemontio & Bailletto fa-
tentibus. Quales vero hodie extant, ab iis,
quos legit S. Hieronymus, non discrepant.
Cur ergo, ais, S. Hieronymus Millennariis il-
lum accenset? Adeas eundem a Prato, qui su-
spicatur Hieronymum, dum hæc scriberet de
Severo, senem jam & in multa distractum ir-
requieto animo illum lectitasse, & cum vidis-
set Sulpicius ita de Antichristo scripsisse, quem-
admodum Chiliastar de Christo sentiebant,
quæque tunc refutanda Hieronymus assumpse-
rat, intulisse statim Severum Chiliastis coha-
sisse.

In Ecclesia Græca sub initium quinti Ecclesiæ sæculi floruit *Synesius* patria Cyrenensis, Philosophus Platonicus insignis, qui, ubi primum se a Ptolomaidensibus ad Episcopale munus electum intellexit, rei novitate percussus, prolixam *Evoptio* fratri suo scripsit Epistolam, causasque aperuit, ob quas oblatum Episcopale munus nequaquam sibi recipiendum putaret; quæ Epistola est LV. inter ejus Epistolas. Primam causam deducit ab uxore sua, quam nullo pacto deserere volebat. Altera causa erat, quod Platonicæ Philosophiæ præceptis inbutus, a præcipuis fidei Christianæ capitibus dissentiret. Scilicet Animam præexistere, nec corpori jam formato immitti se sentire ajebat. Præterea, de æternitate mundi, quem aliquando interitum crederet, neutiquam adduci poterat. Denique, Mortuorum resurrectionem inficiabatur. Multi post *Baronium* censent, hæc causas, seu rationes a *Synesio* non vere, sed fiste & simulate fuisse adductas, ut portentosis illis contestationibus Baptismum, & Episcopale munus sibi oblatum deprecaretur, adeoque mi-
rum

rum non esse, si Theophilus Patriarcha Alexandrinus fictas illas rationes flocci faciens Synesium non solum per Baptismi lavacrum ad fidelium numerum, sed etiam per manuum impositionem ad Ecclesiae regimen admiserit. Alii tamen doctissimi viri post *Hollstenium* in Dissertatione de *Syneseo & fuga Episcopatus*, quam eruditus *Valesius* ad calcem Notarum suarum in *Evagrium* integram attexuit, affirmant, Synesium in his afferendis & inculcandis causis seu rationibus, serio & ex animo fuisse locutum. Excitant nihilominus Theophilum Alexandrinum quod Synesium adhuc Semipaganum ad baptismum & ad Ecclesiae regimen admiserit, quia, inquit, Theophilus Alexandrinus probe perspectrum habebat animum Synesi ad Christianam Religionem propensissimum; experimento etiam didicerat, quam facile veritati cederet, & quam nullo negotio semel baptizatus & Episcopus inauguratus ad exactam Christianae veritatis cognitionem tradere. Nec spes fessellit Theophilum; nam Synesius semel Christianus factus, pristinos errores e vestigio abdicavit, cumque esset perdoctus Philosophus, & facundissimus Orator, egregius suis Operibus, & Epistolis summa rei Ecclesiasticae eruditione refertis plurimum Ecclesiae profuit, eique maximum contulit splendorem.

Inter Monachos quinti Ecclesiae saeculi, quatuor praecipue recensentur, qui illustres Scriptores fuerunt. Nimirum, *S. Isidorus Pelusota*, *S. Nilus*, *Cassianus*, & *Vincentius Lerinensis*, de quorum Operibus pauca hic subnectere non abs re erit. *S. Isidorus* vulgo dictus *Pelusota*, eo quod Monasterii *Pelusi*, quae urbs est Aegypti inferioris post Alexandriam primaria, Presbyter & Abbas fuerit, Angelicam in carne vitam degit, & multa scripsit variae & multiplicis eruditionis plena. Duo millia Epistolarum ad aedificationem Ecclesiae ab eo scripta fuisse, testatur *Facundus* lib. 2. defensionis *trium Capitulum*; sed *Suidas* ter mille Epistolas ab eo exaratas tradit. Nunc tamen extant tantum bis mille centum ac tredecim Isidori Epistolae, quae succinctae sunt, & oppido elegantes, in quibus plurima, eaque difficilia Scripturae sacrae loca enodantur, praecipua Christianae Religionis mysteria in optimo lumine collocantur, utiles ac curiosa in Disciplinam Ecclesiasticam observationes inseruntur, & ad instituendam vitam Asceticam Sanctissima praecipua & moralia documenta traduntur (a). *S. Nilus* discipulus *S. Chrysostomi*, ex Praefecto Constantinopolitano Monachus factus doctrina & pietate claruit. Ejus Epistolas *Leo Allatus* Romae edidit anno 1668. eisque editis subjecit accuratam & eruditam *Diatribam de Nilis*, & eorum scriptis. Composuit etiam *S. Nilus* multa Opuscula Ascetica, quae *Josephus Maria Suares* Episcopus Vasionensis publica luce donavit. Monasticae vitae cultor pariter fuit *Joannes Cassianus*, quem natione nec Romanum, nec Scytham, sed Gallo Provinciale fuisse multis argumentis evincit *Card. Norisius* lib. 2. *Hist. Pelag.* cap. 1. a Cleo Constantinopolitano anno ccccxi. missus est

Cassianus una cum Germano Presbytero ad Innocentium I. Summum Pontificem, ut eum certiore faceret de injustis persecutionibus, quibus tum temporis exagitabatur *S. Chrysostomus*, & de tyrannide, quam patiebatur Constantinopolitana Ecclesia. Hac perfunctus legatione *Cassianus*, in Occidente haesit, & Massiliae suas Sedes fixit, ibique duo fundavit Monasteria, unum pro viris, alterum pro mulieribus, quibus ut normam bene vivendi praescriberet, XII. libros de *Institutis Cœnobiorum* edidit, quos *Castori* Episcopo Aptensi nuncupavit. Septem etiam libros de *Incarnatione Verbi Divini* adversus Nestorium scripsit, & *Collationes* viginti quatuor, quarum decima tertia tota referta est erroribus Semipelagianorum, & ob id a *S. Prospero* egregie confutatus. *Cassiano* adjungi merito debet *Vincentius Lerinensis*, quippe qui in *Commonitorio*, quod edidit adversus prophanas omnium Haereticorum novitates, Semipelagianorum factioni impense patrocinatur, & *S. Augustini* doctrinam, ceu novam, recte & per cuniculos oppugnat. Hinc *Card. Norisius* lib. 2. *Hist. Pelag.* cap. 11. multis momentis demonstrat, *Vincentium Lerinensem* auctorem *Commonitorii*, non esse diversum ab illo *Vincentio* Semipelagiano, quem *S. Prosper* refellit ad *Capitula objectionum Vincentianarum*, quae maxima ex parte cum Gallorum objectionibus, altero libro a *S. Prospero* dilutis, coincidunt.

(a) Cum Eruditis omnibus notissimus sit celebris *Casiniensis* codex, unde v. Cl. *Christianus Lupus* eas omnes epistolas derivavit, quibus dein *Baluzius* titulum hunc de suo adscripsit: *Synodicon contra tragediam Irenei*; cum insuper constet, in eodem codice epistolarum collectionem *S. Isidori Pelusiotae* interseri ex vetustissima interpretatione, non abs re futurum arbitror, indiculum earundem epistolarum hic inserere, qualem mihi communicavit pro sua humanitate *Em. D. Fortunatus Tamburini S. R. E. Card.* meritissimus, qui ad eundem codicem *Casiniensem* confecit, & cum editis *S. Isidori* contulit.

Prima epistola codicis est ad *Cyrillum*, & ego eandem dedi in tomo V. *Concil.*
2. *Timoclitio* Lectori. Est in editis. lib. 1. ep. 102. ad *Timotheum* Lectorem.
3. Ad *Imp. Theodosium*, est ante *Synodum Ephesinam* lib. 1. epist. 311.
4. Ad *Cyrillum* Episc. & inter editas *Cyrilli* lib. 1. ep. 323.
5. Ad eumd. *Cyrillum* lib. 1. ep. 324.
6. Ad eumd. *Beatif. Cyrillum* lib. 1. ep. 370.
7. *Theodosio* Diacono l. 1. ep. 404.
8. Ad eundem lib. 1. epist. 405.
9. Ad *Hermogem* (sic) Episc. l. 1. ep. 419.
10. Ad *Jeracem* presbyt. l. III. ep. 123.
11. Ad *Dionysium* correctorem eadem cum epistola 315. lib. 111. inscripta *Ausonio* correctori. Porro *Ausonio* *Dionysio* correctori inscribitur epistola 9. lib. III.
12. Ad *Macarium* presbyterum l. III. ep. 329.
13.

13. Ad *Hermium* Comitem. Ex Epistolis ad eundem virum nulla convenit cum ea, quae est in eod.
14. Ad *Theonem*. lib. III. ep. 317.
15. Ad *Isidorum* Diaconum lib. III. ep. 318. In editis eadem Epistola repetita lib. III. ep. 408. inscribitur *Zenoni* Monacho.
16. Epistola sine inscriptione ita incipiens: Bene mihi videtur *Job* celeberrimus definiisse sapientiam disciplinamque, dum diceret: ecce pius Dei cultor, (forte cultus) sapientia est, abstineret a malis disciplina est.
17. Ad *Archibium* Presbyterum. lib. IV. Epist. 166.
18. Ad *Leontium* Episc. lib. V. Epist. 21.
19. Ad *Leontium* Episcopum. lib. V. Epistola 37.
20. Ad *Isidorum* Episcopum. lib. IV. Ep. 100. sed inscribitur *Isidoro* Diacono.
21. Ad *Philacrium*. lib. V. ep. 116. sed inscribitur *Philecrio*.
22. Ad *Paulum* Presbyterum & *Anachoretam*. lib. V. ep. 131.
23. Ad *Theonem*. lib. V. epist. 160.
24. Ad eundem. lib. V. ep. 161.
25. Ad *Alphium*. Non reperitur in editis. Incipit: *Nimia librorum cupido animabus hominum presenti se intulit temporis; dico autem librorum non talium.*
26. Ad *Arpocratem* Sophistam. lib. V. ep. 213. sed est in edit. *Arpocræ* rhetori.
27. Ad *Petrum* Scholasticum. lib. IV. epistola 56.
28. Ad *Nilum* Scholasticum. lib. V. ep. 240.
29. Altera ad *Nilum* Scholasticum; non reperitur in editis. Incipit: *Quoniam per hoc ablata viribus validior & artificiosior demonstratur, quando adversariorum consuitur nodis, & semetipsum exuerit, & ipsos solos prostraverit.*
30. Ad *Paulum*. Non reperitur in editis. Incipit: *Nihil, optime, vita presens distat ab aeterna. Nihil firmum, nec permanens, nec stabile, nec fixum servans &c.*
31. *Adamantio*. lib. IV. ep. III.
32. *Lampetio* Diacono. lib. V. ep. 255.
33. *Cyrillo* Episcopo. lib. V. ep. 268.
34. Ad *Quintam*. lib. V. Ep. 272. sed inscribitur *Nilo*.
35. Ad *Hermium* Comitem. Lib. V. Epist. 276.
36. Ad eundem. Non reperitur in editis.
37. Ad eundem. Non reperitur in editis.
38. Ad *Zenonem*. lib. V. Ep. 448.
39. Ad *Isidorum* Episcopum. lib. IV. Epistola 126.
40. Ad *Eutonium* Diaconum. Non reperitur in editis. Incipit: *Terribile quid & valde terribile est unum in Sacerdotium degere, alterum namque e duobus eveniret cuilibet &c.*
41. *Zosimo* Presbytero. lib. V. Ep. 491.
42. *Petro*. lib. IV. Ep. 217.
43. Ad *Leontium* Episcopum. Lib. IV. Epist. 133.
Ad *Alphium*. Non reperitur in editis. In *Graves. Hist. Tom. II.*

Incipit: *Scito, o optime, quia nullus indormitabilem latebit oculum, cui sunt cuncta perspicua, nec celare ei potest, quod quis perpetravit in quolibet abscondito &c.*

Hic desinit *Codex*.
D. Quis est ille *Prosper*, qui *Cassianum*, & *Vincentium* *Lirinensem* confutavit?

M. S. Prosper, qui *Cassianum*, *Vincentium* *Lirinensem*, & alios *Semipelagianos* impugnavit, fuit simplex Laicus ex *Aquitania* oriundus, acerrimus doctrinae *Sancti Augustini* propugnator, in scribendo accuratus sive soluta, sive ligata oratione scriberet, & cum eximia vitae sanctimoniam divinarum & humanarum rerum eruditione pollens. Genuina Opera, quae *S. Prosper* contra *Semipelagianos* scripsit, sunt ista: *Epistola de Gratia & libero Arbitrio ad Rufinum*, in qua capitale *Pelagianorum* dogma refellit, quo asserbant, *Gratiam Dei secundum hominis merita dari*. Liber de *Gratia Dei* contra *Collatorem*, seu *Cassianum* *Collationum* auctorem. Liber unus *Epigrammatum* ex sententiis *S. Augustini*, *Carmen de Ingratis* adversus *Pelagianos*. *Expositio* in *Psalmum* centesimum, & in quinquaginta alios sequentes. *Epistola ad Augustinum*, in qua *Sancti illius Doctoris* contra *Semipelagianos* implorat auxilium. *Chronicon* quod tempore *Baronii* desinebat anno Christi ccccxl. sed *Andreas Duchesnius* tom. 1. *Historicorum Franciae*, addidit huic *Prosperi* *Chronico* alios decem annos, qui in quibusdam MSS. legebantur, ita, ut *S. Prosper* *Chronicon* suum perduxerit usque ad annum cccclv. seu usque ad captam a *Genesio* *Vandalorum* Regem *Urbem Romanam*.

Hisce omnibus operibus *Prosperi* adjungendus est *Commentarius in Psalmos* incipiens a *Psalm.* C. usque ad totum *Psalmum* CL. Quamquam & ad omnes *Psalmos* *Commentarius* hunc olim protensum indicat *Notkerus Balbulus* de *Interpret. Script.* cap. 2. & *Prosper* ipsemet in *Psalm.* CVIII. allegat *Commentarium* suum in *Psalm.* LVI. & LIX.

Opera dubia *S. Prosperi* sunt haec: *Epistola ad Demetriadem*. *Capitula de Gratia & libero voluntatis arbitrio*. *Duo libri de Vocatione Gentium*, quae Opera *Quesnellus* attribuit *S. Leoni* *Papae*. Probabilius tamen doctissimus *Anselmus* haec Opera *Sancto Prospero* *Aquitano* vindicat in dissertatione de Operibus *Sanctorum Leonis M. & Prosperi*. Opera spuria *S. Prosperi* sunt ista: *Libri tres de praedictionibus, & promissionibus Dei*. *Libri tres de Vita Contemplativa*, quos a *Juliano Pomerio* editos fuisse, censent periti Critici. *Poema de Providentia Dei*, quod quemdam *Pelagianum* agnoscit auctorem.

D. Praeter *Joannem Cassianum*, & *Vincentium* *Lirinensem*, fueruntne alii in quinto Ecclesiae saeculo viri eruditi, qui *Semipelagianorum* partibus adhaeserint?

M. Fuerunt alii tres fama celebres, qui in quinto Ecclesiae saeculo a *Semipelagianorum* partibus steterunt, videlicet *Faustus* *Rejensis* Episcopus, *Gennadius* Presbyter *Massiliensis*, & *Hilarius* *Arelatenensis* Praesul. *Faustus* primum *Monasterii*

sterii Lirinensis Abbas, dein Episcopus Rejenfis factus, Epistolam ad quendam *Lucidum* Presbyterum scripsit, & duos libros de Gratia & libero Arbitrio, in quibus sub specioso obrentu refellendi quorundam Prædestinatianorum errores, doctrinam S. Augustini de Gratia & Prædestinatione data Opera impugnat. Qua de causa anno DXX. *Hormisdas* Papa a Possessore, uno ex his Episcopis Africanis a *Trasimundo* Rege in exilium missis, consultus quid de *Fausti* libris sentiendum esset, respondit, libros *Fausti* non recipi in Ecclesia Catholica, sed legenda esse postrema volumina S. Augustini, e quibus velut e purissimis fontibus, doctrina Catholica de libero arbitrio & gratia Dei essent haurienda. Immerito igitur *Sirmondus* in sua *Historia Prædestinatiana* prolixam concinnavit Apologiam pro *Fausto*, cujus libri fuerunt etiam damnati a *Gelasio* Papa anno DCCCXIV. *Gennadius*, non Episcopus, ut quidam putant, sed Presbyter tantum Massiliensis, texuit Catalogum Illustrium Scriptorum, qui eum præcesserant. Edidit etiam librum de *Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui olim falso tribuebatur S. Augustino. Subiunxit quoque *Gennadius* tanquam Appendices ad librum S. Augustini de *Heresibus*, quatuor Hæreses, nempe *Prædestinatianam*, *Nestorianam*, *Eutychianam*, & *Timotheanam*, ut docet *Hincmarus* Remensis Episcopus in lib. de *Prædestinatione* cap. 1. Denique, *S. Hilarius* Episcopus Arelatensis, qui, ut in superioribus Colloquiis jam observavimus, gravem cum S. Leone Papa contentionem habuit, Semipelagianorum doctrinæ adhæsit, quam tamen propediem moriturus penitus abdicavit, ut colligit *Quesnellus* ex ejus Vita in Notis ad Opera S. Leonis tom. II. pag. 913. *S. Hilarius* Arelatensem Episcopum, eum esse, qui ad S. Augustinum Epistolam contra Semipelagianos scripsit, autumavit *Baronius*. At in hoc hallucinatum fuisse Eminentissimum illum Annalium Parentem fatentur omnes periti Critici, tum quia, ut mox dixi, *S. Hilarius* Arelatensis Episcopus Semipelagianorum doctrinæ ad stipulatus est, ac subinde abhorret ab omni veri specie, quod ad S. Augustinum contra Semipelagianos scripsit; tum quia etiam *Hilarius* ille, qui adversus Semipelagianos dedit ad S. Augustinum Epistolam, se tantum ex ordine Laicorum fuisse in fine suæ Epistolæ quodam modo indicat, quando profitetur, se parem non esse auctoritati Adversariorum, idest, Semipelagianorum, a quibus multum & vitæ meritis, & summo Sacerdotii honore superetur. Appellat etiam S. Augustinum Patrem, a quo vicissim in lib. de *Prædestinatione Sanctorum* cap. 1. *filius* nuncupatur. *Hilarius* autem non appellasset S. Augustinum filium, si *Hilarius*, qui ad ipsum contra Semipelagianos scripsit, fuisset revera Episcopus. Hic velim obiter observes, *S. Honoratum*, qui postea fuit Episcopus Arelatensis, fundasse in quinto Ecclesiæ sæculo Monasterium Lirinense, in quo ejus tempore, præter *Vincentium Lirinensem*, *Faufum*, & *Hilarium*, de quibus mox sermonem habuimus, floruerunt *Maximus*, *Lupus*, *Eucherius*, qui fuit Episcopus Lugdunensis, & Operum de *solitudine*,

& contemptu mundi Scriptor egregius. Idem Conobium Lirinense illustrarunt alii celeberrimi Monachi, qui deinde ad Episcopales Insulas in diversis Galliarum Ecclesiis assumpti sunt. Extat etiamnum Lirinense Monasterium ædificatum in Lerina Insula, quæ Provinciæ adjacet adversus Antipolim.

D. Hi sunt igitur præcipui Scriptores, qui in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt?

M. Fuerunt alii insignes Scriptores, quos hic breviter indicasse sufficiet. *S. Leo* Papa I. re & cognomine Magnus, Ecclesiæ multum splendoris contulit eruditione, pietate, eloquentia, multique editis lucubrationibus, quas *Quesnellus* cum variis MSS. contulit, ejus Epistolas ordine Chronologico digessit, varias, quæ nunquam lucem viderant, e tenebris, eruit, ac quotquot aliorum Epistolæ ad S. Leonem datæ sunt, ejusdem literis inseruit. Quædam tamen Opera, ut mox observavimus, *Quesnellus* attribuit S. Leoni, quæ alii periti Critici probabilis S. Prospero adjudicant. (a) *S. Cyrillus* Alexandrinus Antistes, de quo plura in præcedentibus Colloquiis diximus, rebus pro Ecclesiæ gestis præsertim contra Nestorii Hæresim in quinto sæculo insurgentem, Scriptorumque multitudine & splendore clarissimus fuit. *Socrates*, & *Sozomenus* suos de Historia Ecclesiastica libros eodem tempore scripserunt, seu potius Historiam Ecclesiasticam Eusebii continuarunt usque ad annum DCCCXXXIX. *Theodoretus* Cyri in Palæstina Episcopus, præter Historiam Ecclesiasticam, quam adornavit, & anno DCCCXXXIX. terminavit, edidit etiam Tractatus & eruditos Commentarios in Scripturam Sacram. *S. Cbrisologus* Episcopus Ravennæ in Sermionibus, seu Homiliis ad populum habendis magnum sibi nomen peperit. Quo in genere etiam excelluerunt *Maximus* Taurinensis Episcopus, *Valerianus* Cimmeleensis Præsul, & *Basilus* Episcopus Seleuciensis. Contra Pelagianos, & Nestorianos *Marius Mercator* multa edidit Opera, quæ anno MDCLXXIII. *Joannes Garnerius* Soc. Jesu publici juris fecit, addiditque Annotationes & Dissertationes amplissimas, quæ *Marii Mercatoris* scriptis magnam lucem afferunt. Alteram, sed accuratiorum eorundem *Marii Mercatoris* Operum Editionem ex Collatione Codicis Bellovacensis cum Vaticano, in quibus solis antiqui hujusce Scriptoris Opera habentur, concinnavit doctissimus *Baluzius*. Denique, in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt *Salvianus* Presbyter Massiliensis auctor elegantissimi Tractatus de *Providentia*, & quatuor librorum de *Eleemosyna*: *Arnobius* junior auctor Commentarii in Psalmos: *Claudius Mamertus*, *Sidonius Apollinaris* Episcopus Claromontanus insignis Poeta, *Gelasius Cyzicenus* Historiæ Concilii Nicæni compilator: *Vitor* Vitenfis Episcopus, qui tres libros de *Vandalica persecutione* scripsit. Sunt multi periti Critici, qui asserunt, libros *De Divinis Nominibus*, de *Cælesti*, & de *Ecclesiastica Hierarchia*, qui S. Dionysii Areopagitæ nomine insignantur, sub finem tantum quinti Ecclesiæ sæculi ab incerto Scriptor editos fuisse, eosque dumtaxat anno DCCCXIII. in Collatione Constantinopolitana ab

Aceph-

Acephalis, seu *Severianis* Hæreticis adversus Orthodoxos primum sub Sancti Dionysii Areopagitæ nomine fuisse citatos. Sed de celebrioribus quinti sæculi Scriptoribus, eorumque Operibus hæc pauca prælibasse, ac levi brachio attingisse sufficiat.

(a) „ S. Leonis Magni opera nemo melius, & diligentius illustravit supra Ballerinos fratres Veronenses, qui præter omnes *Quesnelli* accessiones novas etiam Epistolas S. Leonis adjecerunt, e MSS. Codicibus erutas. Collationem etiam omnium eorundem operum instituerunt novam, ad Codices MSS. vetustissimos Vaticanos, Veronenses, & novis insuper adnotationibus ac perpetuis, lectiones optimas vindicarunt. Nec desunt additamenta alia, quæ P. Cacciarus in sua recenti editione eorundem operum S. Leonis typis Romanis producta e Vaticanis Codicibus indagaverat. Nec prætereunda sunt illa laudatæ animadversiones eorum & refutationes ad dissertationes Leonianas *Quesnelli*, quas tamen ibidem integras repræsentarunt. Sed laudem omnem superat tertium editionis hujusce volumen, in quo exhibent *Codicem Candianum Ecclesiæ Romanæ*, sicut *Quesnellus* inscribere placuit, quamquam nullam publicam auctoritatem unquam obtinuisse, Ballerini demonstrant. Hanc igitur Collectionem ad Vaticanos Veronenses, Barberinos, & alios bene multos recenserunt, suæque integritati restituerunt; fontes detegunt, unde singula derivata sunt, eaque notis illustrant. Præmittunt toti volumini dissertationem de antiquis Canonum collectionibus tum editis cum manuscriptis, earumque auctoribus summo judicio & eruditione elaboratam, ut nemo huc usque plenius & accuratius hoc argumentum excusserit. Prodiit integrum opus tribus in folio tomis Venetiis typis *Simonis Occhi* an. 1757.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali quinti Ecclesiæ sæculi.

D. CUM sub finem Historiæ cujuslibet Ecclesiæ sæculi aliquod specimen illius Doctrinæ, Disciplinae & Moralis exhibere soleas, de his in præsentia edoceri cupio, ut nihil eorum, quæ ad notitiam Historiæ, Doctrinæ, Disciplinae & Morali quinti Ecclesiæ sæculi attinent, intactum prætermittamus. Expone primo igitur quænam fuerit Doctrina quinti Ecclesiæ sæculi?

M. Doctrina Ecclesiæ a Christo Domino, & ab Apostolis tradita cum omnino invariabilis sit, nec ulla, ut sæpe diximus, temporum vicissitudine violari, aut immutari possit; certum apud omnes esse debet, eandem prorsus in quinto Ecclesiæ sæculo obtinuisse doctrinam, quæ in quarto, & in tribus aliis præcedentibus sæculis jugiter viguit. Quia tamen in quinto sæculo, ut in secundo Colloquio in Historiam hujusce sæ-

culi dicebamus, multæ grassatæ sunt Hæreses, Pelagianorum videlicet, Semipelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Helvidii, Joviniani & Vigilantii, necesse fuit, ut doctrina fidei ab illis Hæreticis imperita, clarius & uberius a Conciliis, & a Sanctis Patribus explicaretur, novæque consecrarentur fidei formulæ, quibus serpentes errores. facilius a fidelibus præcaveri possent.

In primis, statutum est contra Pelagium, Peccatum Originale ab Adamo in omnes illius posteros propagari, nec quemquam, nisi Christi gratia posse salvari. Secundo, Baptismum ad salutem consequendam parvulis esse omnino necessarium. Tertio, neminem esse bonum suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus bonus est. Quarto, quod nisi gratia Dei continuo juvemur, insidias, seu tentationes Diaboli superare haud possumus. Quinto, quod per Christum Servatorem nostrum bene utamur libero arbitrio. Sexto, quod omnia Sanctorum merita sint dona Dei. Septimo, quod omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo sit. Octavo, quod gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adjuvet ne committantur, & præster, ut lex impleatur, non sicut ajebat Pelagius facile, quasi absque gratia Dei difficultas posset impleri. Denique, quod nemo potest mereri gratiam. His Ecclesiæ definitionibus jugulata est Pelagiana Hæresis.

Ventum est postea ad errorem Semipelagianorum, qui licet Peccatum Originale ab Adamo ad omnes illius posteros transfusum fuisse ultro faterentur, prævenientis tamen gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei & bonorum operum non admittebant, & perseverantiam finalem in bono singulare Dei donum esse negabant. Contra illos igitur Sancti Patres unanimi consensu docuerunt gratiam prævenientem necessariam esse ad omnes & singulos pietatis actus, etiam ad initium fidei & bonorum operum, insuper & perseverantiam usque in finem esse speciale & magnum Dei donum. In hoc contra Pelagianos & Semipelagianos custodiendo gratiæ Christi deposito, Ecclesiæ imprimis charo, strenue præ cæteris Patribus per viginti & amplius annos adlaboravit S. Augustinus, & omnia, quæ ad medicinalem Christi gratiam spectant, tam dilucide explanavit, tam nervose stabilivit, ut Concilia, quæ post ipsius obitum celebrata fuerunt, sua de quæstionibus judicia, & potissimum de gratia Canones ex Sancti Doctoris sententiis ad verbum formanda senserint. Unde Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia cap. 11. veridice pronuntiavit, S. Augustini de Gratia & Prædestinatione sententias, non esse privatas aliqujus Doctoris opiniones, sed fidem Catholicæ Ecclesiæ dici debere. Mirum igitur esse non debet, si Theologi prædestinationis gratiæ, & gratiæ se ipsa efficaciæ defensores S. Augustinum Theologiæ principem, Catholici orbis Magistrum, Hæreticorum malleum tantopere venerentur, ejusque inconcussa, tutissimæque doctrinæ indivulsa adhæreant. Extiterunt quidem pro-